



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Beatam dicit Job Virgine[m]; quia est Mulier quæ non te[n]tat, sed
salvat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Beatam dicit Job Virginem; quia est Mulier
quæ non tentat sed salvat.

Questus est Job coronam spoliatum se fuisse cap. 19. *Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Tum aliam deinde desiderat. *Quis mihi tribuat Auditorem ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Quis iste liber? non peccabo, si intellexero illum: Liber generationis Jesu Christi. In eo enim est Corona Virgo. Prov. 12. *Mulier diligens Corona viro suo est.* Epiph. serm. de laud. B.V. ita Virginem alloquitur. Salve Corona regia, pretiosissimum habens lapidem. S. Greg. 3. Moral. c. 6. scripsit: Beatum virum Job, quasi in quadam virtutum arce stare diabolus vidit, cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam quæ ad cor viri ascendere potuisset invenit. E contra Virgo ut ait Bernard. serm. de aque ductu. Filii mei, hæc peccatorum Scala. Mulieri Jobi scala fuit ad descensum. Virgo est Scala ad cælum. Bonav. in spec. Virgo est Scala Jacob quæ usque ad cælum pertingit. Propterea in primitiva Ecclesia publica poenitentia cum invocatione S. Virginis agebatur. Pariter de poenitentia officio sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eandem Mariam invocant. In scala Jacob nullus conspiciebatur homo sed omnes Angeli, quia Scala Virginis accipit hominem, reddit Angelum. Seraphico illi Francisco *Vadimus in Chron.* monstratæ fuere duæ scalæ, quarum alteri Christus, alteri Mater ejus præerat, & illa purpurea erat, ista super nivem candicabat, & ascenderant multi fratres scalam rubentem, cum ecce aliqui de gradu propè summo & cælo contigui, alij de medio ruunt lapsi. Miserabili per motus spectaculo exclamat Sanctus. *Eja fratres candidam occupate Scalam & conscenderunt securo pede & usque ad summum pervenerunt.* Virgo juxta *Magistra sentent.* Scala cæli.

4. Beatam dicit Virginem Moyse & Samuel.
Quia miracula eorum complet.

S. Virgo mons est, uti vult (s. Damasc. orat. 3. de Nativit. B.V. ubi ait. Mons est Virgo, qui omnem collem & montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem transcendit; certè erit ille mons in quo legem Deus suam dedit. Circa hanc montem Dei curam S. Moyse Exod. 19. describit. Sic enim præcipientem

Z. a

Gbj